Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



231

CHS

qui est verbum de. Quod cum cognouissent turbe: secute sunt illum. et
excepit illos. et loquebatur illis de regno dei: et eos qui cura indigebant sanabat. Dies autem cepit declinare. Et
accedentes .xii. dixerunt illi. Dimitte
turbas. ut euntes in castella uillasque
que circa sunt diuertant. et inueniant
escas: quia hic in loco deserto sumus. Ait
autem ad illos. Vos date illis manducare. At illi dixerunt. Non sunt nobis
plusquam quinque panes. et duo pisces:
nisi forte eamus et emamus in omnem
hanc turbam escas. Erant autem uiri
fere quinque milia. Ait autem ad discipulos suos. Facite illos discumbere per
cenuna quinquagenos. Et ita fecerunt
et discumbere fecerunt omnes. Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus:
respexit in celum. et benedixit illis et fregit: et distribuit discipulis suis ut ponerent ante turbas. Et manducauerunt omnes: et saturati sunt. Et sublatum est
quod superfuit illis fragmentorum cophinorum .xii.
Et factum est cum solus esset orans: erant
cum illo discipuli. Et interrogauit illos dicens. Quem me dicunt esse turbe.
At illi dixerunt et uenerunt. Alii iohem
baptistam. alii autem helyam: alii autem
quia propheta unus de prioribus surrexit.
Dixit autem illis. Vos autem quem me esse
dicitis. Respondens simon petrus dixit.
Christum dei. At ille increpans eos. precepit ne cui dicerent hoc: dicens quia oportet filium hominis multa pati: et reprobari
a senioribus et principibus sacerdotum. et scribis. et occidi: et tertia die resurgere. Dicebat autem ad omnes. Si quis uult post
me uenire. abneget semetipsum: et tollat crucem suam quotidie. et sequatur me.
Qui enim uoluerit animam suam saluam
facere: perdet illam. Nam qui perdiderit animam suam propter me: saluam
faciet illam. Quid enim proficit homini
si lucretur uniuersum mundum. se autem
ipsum perdat. et detrimentum sui faciat.
Nam qui me erubuerit et meos sermones: hunc filius hominis erubescet. cum
uenerit in maiestate sua. et patris. et sanctorum
angelorum. Dico autem uobis: uere sunt
aliqui hic stantes qui non gustabunt
mortem. donec uideant regnum dei. Factum est
autem post hec uerba fere dies octo. et assumpsit petrum. et iacobum. et iohem: et
ascendit in montem ut oraret. Et factum
est dum oraret: species uultus eius alter
apparuit: et uestimentum eius album
refulgens. Et ecce duo uiri loquebantur
cum illo. Erant autem moyses. et helyas
uisi in maiestate. Et dicebant excessum
eius quem completurus erat in iherusalem:
Petrus uero et qui cum illo erant gra
uati erant somno. Et euigilantes. uiderunt maiestatem eius. et duos
uiros qui stabant cum illo. Et factum est
dum discederent ab illo: ait petrus ad
iesum. Preceptor bonum est nos hic esse:
et faciamus tria tabernacula: unum tibi.
et unum moysi. et unum helye. nesciens
quid diceret. Hec autem illo loquente: facta
est nubes et obumbrauit eos: et timuerunt. Intrantibus autem illis in nubem:
nox facta est de nube dicens. Hic est filius
meus dilectus: ipsum audite. Et dum
fieret uox. inuentus est ihesus solus. Et
ipsi tacuerunt. et nemini dixerunt in illis
diebus quicquam ex hiis que uiderant.
Factum est autem insequenti die descendentibus
illis de monte. occurrit illis turba
multa. Et ecce uir de turba exclamauit dicens. Magister obsecro te. respice
in filium meum: quia unicus est mihi. Et ecce